

RECTOR
ACADEMIAE LYDOVICIANAE
IO. MELCHIOR
VERDRIES,

CONSILIAR. ET ARCHIAT. HASSIACVS, MEDICIN.
ET PHILOSOPH. NATVR. P. P. O.


VNA CVM TOTO
SENATV ACADEMICO

LECTIONES AESTIVAS
SINGVLORVM PER OMNES FACVLTATES
PROFESSORVM,

PVBlicas ATQVE *PRIVATAS*,
GENERE, VIRTUTE, AC DOCTRINA FLORENTISSIMIS
ALMAE GIESSENAE

CIVIBVS
INDICIT ATQVE SEDVLO COMMENDAT.
DIE II. APRIL. ANNO M DCC XXXVI.
SVB SIGILLO ACADEMIAE MAIORI.

GIESSAE,
TYPIS EBERH. HENR. LAMMERS, ACAD. TYPOGR.



In Facultate Theologica.

D. IO. GEORG. LIEBKNECHT,

*P. P. Ord. Superintendens, Consistorialis, Stip. Princ.
Ephorus & Acad. Senior.*

L Ectionibus priuatis & publicis in libros symbolicos nuper ad finem perductis, nunc publice vel integram historiam ecclesiasticam, vel eius partem de conciliis notabiliorem horis consuetis proponet. *Priuatum* in B. BAIERI compendium hor. IX. X. theologiam posituam ab ouo resumet, nec non ad ductum B. Doct. RAMBACHII nostri *praecepta exegetica* ad vnum vtrumque librum sacrum exponet, & insimul *homileticas regulas* sentientibus auditorum animis insinuabit, vt de rebus sacris ordinate & perspicue verba facere discant, eaque praesertim me praesente recitent.

REINH. HENR. ROLLIUS, D.

*Prof. Publ. Ord. Consist. Principalis Assessor, ac Diaceseos
Alsfeld. Superint. Facult. Theol. h. t. Decanus.*

A Bsolutis Dei gratia Lectionibus Pastoralibus, publice per instans semestre aestiuum hora X. MARTINI CHLADENII, Theologi celeberrimi, *Institutiones Theologiae moralis*, solide atque accurate concinnatas, explicabit, collatis subinde, quae apud b. BVDDVVM, aliosque huius disciplinae scriptores, uberiori considerationi inservire videbuntur. *Priuatum* hora VII. *Theologiam theticam*, methodo sibi hactenus consueta, de novo praeleget, & si ita visum fuerit Dnn. Auditoribus, perpetuo discursu antea excussa, examinando

nando repetet, ut quilibet, quantum auscultando meditandoque profecerit, cognoscat. Addet insuper historiam dogmatum, qua vel maxime opus esse de solida rerum sacrarum cognitione sollicitis, prudentiores pridem iudicaverunt. Usus denique practicum singulis subjunget capitibus, ut, quo pacto omnia ad praxin pietatis dirigenda sint, re ipsa pateat. Hora IV. disputationes *in Syllogen controversiarum* b. FECHTII, superiori semestri coeptas, continuabit, ea tamen lege, ut, cum citra curatiorem controversiarum cognitionem, sententiarum de iisdem collatio haud magni esse videatur momenti, horæ singulis septimanis huic Collegio destinatae, partim thesium enodationi, partim exercitio disputatorio impendantur.

ERNEST. FRID. NEUBAVER,

SS. Theol. Prof. Publ. Extraordinarius.

Post habitam typisque exscriptam orationem inauguralem, *ideam theologi Paullinam, ex epistola ad Romanos repraesentantem*, alacri animo ad ipsam sacram disciplinam tradendam contenderit. In ea vero ita cum primis versabitur, ut praeceptorum suorum, omni laude maiorum, quorum recitationes in academia Salanis regiaque Fridericiana ipse quondam percepit, libros explicandos sibi sumat. Itaque publice quidem collegium instituet *hermeneuticum*, vsus beati nostri RAMBACHII *institutionibus hermeneuticae sacrae*, in omnibus fere euangelicis academiis, & in hac ipsa Ludouiciana iam olim a beato & post fata venerando D. RVDIGERO, multoties explicatis: operam simul daturus, ut hic illic *Septuaginta* nouelli ac famosissimi interpretis *Wertheimensis*, dilucidissimis exemplis, ad muniendos iuuenum animos, omnium oculis exponat. *Privatim* theologiam

praecipiet *dogmaticam*, vel ad compendii (cui *institutiones* exacte respondent) B. BVDDI ductum, vel, quae praelectionibus academicis aptior videtur, ad ven. D. LANGII *oeconomiam salutis evangelicam*, ita concinnatam, vt acuendo iudicio iuuandaeque memoriae mirum quantum inferuiat, eoque nomine omnibus aliis praeferrri facile mereatur. Quod si etiam fuerint, qui dicta vel *examinibus* repetere, vel *disputationibus* pertractare desiderent, iis lubens gratificabitur.

In Facultate Juridica.

D. IO. FRIDER. KAYSER,

*Consil. Hasso. Darmstatt. Antecessor & rerum Oeconomicarum
in Alma Ludouiciana Inspector.*

PER instans semestre aestiuum, vitam viresque sospitante Deo, nouum *Collegium Juris publ.* ad ductum CASP. HENRICI HORNII, nec non *Juris Canonici*, praecunte CORVINO a BELDEREN, & denique collegium ff. ad Lauterbachii compendium aperiet, simulque operam dabit, vt, quam potest fieri breuissime, omnia ad optatum finem perducantur.

D. JOH. FRIED. WAHL,

Prof. Jur. Ord.

PUBLICe, absolutis in duos priores libros D. Justiniani institut, hyemalibus lectionibus, duos libros posteriores ad finem perducet. *Privatim* non solum doctrinam de criminibus, ad ductum librorum digest. quos terribiles vocant, explanabit, sed nova quoque collegia ad *Digesta*, *Jus canonicum*, *feudale* pro desiderio dominorum commilitonum auspicabitur; neque iis deerit, quibus fundamenta *processus civilis* ad discere volupe est.

JOH.

❁) ; (❁

JOH. HARTMUTH RAYS,

Jur. Utr. Lt. Prof. Publ. Extraord. & Fac. Jurid. Assessor.

Pandectas duabus per singulos dies horis, altera publice, altera privatim ad ductum Comp. Jur. Lauterb. denuo explicabit, simulque novum ad *Institutiones juris civilis* collegium exordietur. Illorum quoque commodis velificaturus, quibus fora mox frequentandi animus est, viam *processus judicarij*, prout in ipsis rerum documentis apparet, commonstrabit: Bina vero collegia privatissima ad Struvii Jurisprudentiam & ad pandectas examinatorium strenue prosequetur.

ERN. CHRISTOPH. ARNOLDI

Juris Utriusque Lic. & Prof. Publ. Facult. Jurid. Assessor.

Publice, eo, quo coepit studio, methodoque, perget *notitiam Statuum Europaeorum* commonstrare. Privatim vero Collegia ad *Institutiones, Pandectas & Jus feudale* aperiet; Sique quidam ex provectoribus sint, quibus *Theoriae praxin* addere placuerit, eorum conatus omni meliori modo promovebit.

In Facultate Medica.

D. JO. CASIMIR. HERTIUS,

Prof. Publ. Ord.

Publice in eruendis plantarum characteribus id aget, ut Rivinianam methodum praeter alias, cum Turnefortiana, quam sequi haecenus placuit, conferat praecipue atque conjungat. Privatim in reliquis quoque muneri sui partibus non deerit Nobiliss. Dnn. Commilitonibus, in anatomicis aut chirurgicis operam suam desideraturis.

D. IO. MELCHIOR VERDRIES,

Medic. P. P. O. h. t. Facult. Med. Decanus.

INitiatis instituta exponet, & si provectiores accesserint, iisdem pro voto ac desiderio satisfacere studebit.

LVD. HENR. LEO HILCHEN,

Med. D. & P. P. O.

Publice Historiam Medicinæ ejusque hypothesium a primis artis hujus primordiis ad nostra usque tempora exponet: Privatim, absoluta Physiologia, ad Pathologiam progredietur, insimulque praecepta sanitatis & regulas curandorum morborum tradet.

D. GERARDUS TABOR,

Prof. Publ. Ord.

Publice Februm Cognitionem & Curationem exponet; Privatim desiderantibus manuactionem in Operationibus Chymico-Pharmaceuticis suppeditabit.

In Facultate Philosophica.

D. IO. GEORG. LIEBKNECHT,

Prof. Publ. Ord.

SUam in quavis parte Matheseos operam desiderantibus ulterius promittit.

IO. MELCHIOR VERDRIES, D.

Phil. Nat. P. P. O.

IN cursu Phil. Natur. exponendo sedulo perget, nec ulla in parte nobilissimæ hujus scientiæ opellam suam desiderari patietur,

CHRIST,

CHRIST. FRID. AYRMANNVS,

Hist. Prof. P. & Bibliothecar. Acad. h. t. Facult. Phil. Decanus

Publicis lectionibus continuabit Historiam Imperii Germ. ad recentissima tempora. Priuatim Schmauffii Comp. Hist. Germanicæ breuiter explicabit, Historiam item uniuersalem & alia traditurus si Deus vitam & integriorem valetudinem concesserit.

JAC. FRID. MÜLLER, P. P. O.

Auspice Deo septimanæ secundo & tertio die præleget Logicam, quinto & sexto Principia cognitionis humanæ generalia, & hisce lectionibus destinata est hora pomeridiana secunda, Jus Naturæ tradet hora pomeridiana tertia, continuaturus has prælectiones per totam septimanam, solo die primo septimoque excepto. Eos autem, qui literis operam dantes ad panarium potissimum collineant, sua schola exesse optat.

IO. LVDOVICVS ALEFELD,

Poës. Prof. Ordin.

Selectiores *Publii Syri*, celebris minographi, sententias, quibus multa gravissima & ad mores imprimis formandos utilissima effata continentur, publice explicabit. Priuatim præcepta *Poëseos Germanicæ* traderet, dextramque illorum applicationem continuis exercitationibus ostendet.

ERNEST. FRID. NEUBAVER,

antiquitatum, nec non græcæ & orientis linguarum P. P. O.

Quae in enarratione epistolae ad Romanos, ex græco fonte sollicite instituta, restant, (peruenit autem ad caput vsque decimum) ad finem perducere scholis publicis adlaborabit. Priuatim in lectione veteris testamenti cursoria exponet *Ezechielem*, vna cum *duodecim prophetis minoribus*, praeterea nec in *antiquitatum* studio litterisque *orientalibus ac græcis* (in quibus siue alia, siue eximium *PLVTARCHI de educatione puerorum libellum* praeleget) vlli defuturus.

CHRIST. LVD. GERSTEN,

Math. P. O. & S. R. Lond. Sod.

Publicè in Mathesi sublimiori tradenda perget, & speciatim perinstitans semestre locos geometricos, deinde analysin infinitorum fusius expli-

explicabit. Privatim & privatissime rogatus operam dabit, ut quibusvis honestis studiosae Juventutis desideriis satisfaciat.

IO. HERMANNVS BENNER

Eloq. P. O. & Paedagogiarcha.

Eloquentiae praecepta breuia publice trader, Scriptores optimos adiunget. Priuatim ad solutam ac ligatam orationem praesidia singulis aptiora monstrabit; neque tam operae suae, quam huius chartae spatio parceret.

CHRISTOPH. LVD. RVDIGER

Prof. Philos. Extraord. Definitor & V. D. M. ciuicus.

Iam in eo sudat, post absolutam theoriam, praxin quoque artis heraldicae selectissimis exemplis vt tradat. Nec non de constituenda & regenda ciuitate disciplina, studiosae iuuentutis animos condocere, volupe est: De reliquo, notitia optimorum quorumuis in omni scientiarum genere auctore imbui quicumque gestiunt, eosdem industria sua haud defraudabit.

CHRIST. GODEL. KOENIGIUS

Philos. Prof. Extraord.

Vitium istud, quod uirorum uel doctissimis saepius obicitur, *Pedantismus* uulgo dictum, in quo consistat, quam late pateat, quae alia procreet, quibus sit modis euitandum, publicis, si qui eas sint frequentaturi, scholis ostendet. Ac ueluti superiori semestri septenas quotidie horas priuatis impendebat praelectionibus, ita neque hoc instanti, pro diuersis Dom. Commilitonum studiis ulli parceret industriae & debitae sane & necessariae. Praeter alia finito pene Poëtico iam intensiori cum studio Coll. offert *Anti-Poëticum*, cui inseruire compendii instar quae *Suvisii*, famosi in Britannis Doctoris Theologi, *περί βάρυς* s. de arte in Poëtica reprimendi libellus *Longino* *περί ἰψυς* oppositus, Artisque complexus regulas, si uerum eruas sensum, a recentiorum fere plerisque Poëtarum frequentissime neglectas.

Habebunt etiam *Generosi & Nobilissimi Cives* commodissimam occasionem, in arte equestri, in ludo palaestra, in arte commode & perite saltandi, nec non in linguis exoticis, Gallica, Italica, apud exercitiorum istorum, & linguarum magistros, publica auctoritate constitutos, habiles admodum & idoneos, proficiendi, profectus suos augendi partamque habilitatem perficiendi,